

ISIDORI

- Hi sunt tori, id est musculi : et dicti tori, quod illic viscera
64 torta videantur. Cubitum dictum, quod ad cibos sumendos in
 ipso cubamus. Vlna secundum quosdam utriusque manus ex-
 tensio est, secundum alios cubitus ; quod magis verum est, quia
65 Graece ὄλενος cubitus dicitur. Alae subbrachia sunt appellatae, **5**
 eo quod ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet ;
 quas quidam ascillas vocant, quod ex his brachia celluntur, id
 est moventur ; unde et oscilla dicta ab eo quod his cillantur, hoc
 est moveantur, ora. Nam cillere est movere. Has quidam sub-
 hircos vocant, propter quod in plerisque hominibus hircorum **10**
66 foetorem reddant. Manus dicta, quod sit totius corporis
 munus. Ipsa enim cibum ori ministrat ; ipsa operatur omnia
 atque dispensat ; per eam accipimus et damus. Abusive autem
 manus etiam ars vel artifex, unde et manupretium dicimus.
67 Dextra vocatur a dando, ipsa enim pignus pacis datur ; ipsa fidei **15**
 testis atque salutis adhibetur ; et hoc est illud apud Tullium
 (Cat. 3, 8) : ' Fidem publicam iussu senatus dedi,' id est de-
 xtram. Vnde et Apostolus [(Galat. 2, 9) : ' Dextras dederunt
68 mihi.'] Sinistra autem vocata quasi sine dextra, sive quod rem
69 fieri sinat. A sinendo enim sinistra est nuncupata. Palma **20**
 est manus expansis digitis, sicut contractis pugnus. Pugnus
 autem a pugillo dictus, sicut palma ab expansis palmae ramis.
70 Digiti nuncupati, vel quia decem sunt, vel quia decenter iuncti
 existunt. Nam habent in se et numerum perfectum et or-

1 masculi BC¹ quod] quia KC 2 videntur C dictum om. K (non
 D) quod] quia CK (non D) 3 ipsos CK sec. quos T¹ 5 greci
 K dicunt K (non D) app. alae eo K : appellata eo T¹ 6 ex his T
 inchoat C 7 ascillas T¹ : ascillas K quod] eo quod B : quia (ex qua)
 C ex eis K 8 ascilla BT : ascillas K dictas eo K his c.]
 scillantur T : excellantur B¹ ut vid. K : oscillantur CB²X hoc CT :
 id BK 9 moventur T ora om. K cellere K 10 quod] quia
 C¹ 11 reddunt C 12 mu.] manus T ori cib. C op. om. T :
 enim op. om. K 13 acc.] operamur B 14 munus pr. K (ex mn-) :
 manus pr. B 17 iussus TB : iussi C¹ 18 unde et . . . ded. mihi TUX
 Mon. : unde et apostolus BCDFK iacobus et iohannes d. d. m. T¹
 (add. et barnabe societatis T²) : d. d. m. et barnabe societatis UX Mon.
 19 Laeva quod aptior sit ad levandum (ante Sin.) hab. GUXT² : om.
 BCKT¹ (cf. § 90) rem om. K 20 enim] autem C nunc. est C (non D)
 21 co. pugnum T 22 ab spansis BC : adspansis T : ab pansis K
 23 quia (prius)] quod K